



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 74. Compendium a Burgundis, Anglisque obsessum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

triginta auxit, sanxitque, ut deinceps tam ^{secul.} XV.
ipse, quam Successores sui semper ejusdem A. C. 1429.
Rectores, & magni Magistri forent. Ipse
Hispaniarum Rex utpote Burgundicæ Do-
mus hæres, nostra adhuc ætate hujus
Ordinis caput esse, magno sibi dicit ho-
nori, eumque non minus merito & digni-
tate Equitum, quam paucitate eorum,
quos hoc honore dignatur, spectabilem
reddit, ac perpetuo illius splendorem con-
servat.

§. LXXIV.

Compendium a Burgundionibus, An- glisque obseffum.

Interea vero Burgundicæ Dux arma, quæ ^{Joan. Char-}
in Galliæ Regem moverat, nusquam ter ^{Hift.}
posuit, sed cum Anglis, aliisque sibi fœ- ^{Caroli VII.}
deratis, copiisque validissimis Compen-
dium, Picardiæ urbem, obsidione cinxit.
Virgo Aurelianensis cognito Burgundio-
num, atque Anglorum insultu maxima,
qua potuit, celeritate Latiniaco movit, &
qua vi, qua arte viam sibi ad urbem ape-
ruit, ut eam ipsa tueri posset. Postera
etiam die vigesima quarta Maji eruptio-
nem fecit in oppugnantes; Civibus ta-
men in fugam actis, cæsisque Puel-
la quoque, utpote nonnisi inter postre-
mos ex acie pedem referre solita, a
quodam equite ex legione Joannis Lu-
cemburgi capitur, qui illam suo militum

Q q 3

Tri-

Sæcul. XV. Tribuno, cum & ipse ex Belliducibus ef-
A.C. 1429 set, tradidit; hic vero eam confessim An-
glis pro decem millium librarum pretio
numeratæ pecuniæ, necnon aliis quin-
gentis libris annuæ pensionis vendidit.

§. LXXV.

Virgo ab Anglis carceri inclusa.

Bellefort. l. 5. A dversa Virginis fortuna vel impruden-
c. 92. tiæ, vel forsan perfidiæ Guilielmi
Naucler. ge Flaviacensis Urbis Praefecti adscribitur;
ner. 48. p. hic enim occlusis intempestive repagulis
449. eam, cum urbem repeteret, exclusit. An-
gli igitur damna, quæ per illam perpeſſi-
erant, cladesque plurimas ab eadem sibi
non sine Angli nominis infamia illatas
protinus vindicare decernunt. Attamen
priusquam crudele hoc consilium execu-
tioni darent, Puellam varioſ subire carce-
res compellunt. Interea vero secundus,
quem illius vaticinia nacta fuerant, even-
tus, præmiumque, quod inde reportavit,
plures alios etiam ruſicæ plebis homines
pellexit, ut & ipsi Prophetiæ oracula men-
tirentur. Impulerat cujusdam pauperis
Pastorculi præſagium Reinhardum de
Carnuto, Franciæ Cancellerium, Bou-
ſacium Marescallum, & Potonem de Sen-
trallis, ut Rothomagum obsidere ag-
grederentur; hic enim divinitus se mi-
ſum jactitabat, eo fine, ut præfatos Do-
minos